

cationis modus non potest cum proprietate et veritate attribui illi motioni præviæ, quam Deus imprimere dicitur omni causæ secundæ. Solum ergo per quamdam analogiam et imitationem poterit dici applicatio, quatenus sine tali præmotione non potest talis potentia agere; in illa vero posita, statim quasi necessitate quadam actionem suam elicit. Hæc autem tam necessaria connexio intelligi non potest in tali præmotione, nisi propter aliquam vim et efficaciam propriam, ac per se, quam habeat in actionem causæ secundæ in quam necessario influat, et a qua ipsa actio causæ secundæ essentialiter pendeat: nam si hæc secludatur, tanta necessitas talis conditionis sine fundamento affirmabitur. Merito ergo qui talem præmotionem requirunt, hanc causalitatem illi attribuunt.

17. *Hinc sequitur hoc auxilium esse actum primum.* — Ex hac vero resolutione intulerunt auctores allegati pro priori sententia dubii noni, auxilium hoc prævium esse actum primum, vel complementum actus primi, saltem per modum cuiusdam formæ completis vim activam necessariam ex parte facultatis creatæ ad eliciendam actionem suam et producendum effectum, quæ consecutio videtur mihi plane evidens ac necessaria. Probat per partes singulas. Nam imprimis illud auxilium est actus quidam efficiens, et informans potentiam causæ secundæ, nam est ostensum esse debere aliquam qualitatem, et quamvis negetur esse qualitas, et vocetur motio, nihilominus negari non potest quin sit actus entis in potentia, nam hæc est de ratione omnis motus, vel mutationis. Item ille actus recipitur in facultate causæ secundæ tanquam in potentia pure passiva respectu talis auxilii; ergo e contrario auxilium illud imprimitur tali potentia tanquam actus illius; non imprimitur autem causæ secundæ tanquam actus secundus ejus, nec tanquam inchoatio actus secundi; ergo imprimitur ut actus primus, vel complementum actus primi. Antecedens probatur, quia actus secundus causæ secundæ efficientis est ab illa effective: iste autem actus præmotionis non est effective a causa secunda, ut jam inter nos convenit. Et eadem ratione non potest esse inchoatio actus secundi, quia inchoatio actus secundi aliquid est ipsius actus secundi; ergo est aliquid actionis causæ secundæ; ergo est effective a causa secunda. Denique causa secunda sicut facit, ita etiam inchoat actionem suam, et donec intelligatur actu influere, non intelligitur inchoare actum

secundum. Motio autem prævia præcedere dicitur ordine naturæ actualem influxum causæ secundæ; ergo nullo modo est actus secundus, vel inchoatio ejus. Prima vero consequentia probatur, quia actus actuans potentiam adæquate dividitur in actum primum et secundum, quia nec datur actus tertius, nec prior primo, nec inter primum et secundum potest cogitari medium, sub actu primo omne complementum ejus, et sub actu secundo omnem inchoationem ejus comprehendendo. Cum ergo illa præmotio sit actus causam secundam actuans, et formaliter eam reducens de potentia in actum, et non reducat illam formaliter in actum secundum, vel inchoationem ejus, necesse est ut ad actum primum pertineat. Et quia in causa secunda supponitur virtus aliqua activa, quæ est quasi connaturalis et intrinsecus primus actus ejus, necesse est ut ille prævius concursus sit complementum actus primi, quod tandem his verbis concedit Alvarez, disp. 18, n. 12 et 18, et D. Thomæ et Thomistis id tribuit.

18. *Sequitur secundo, causam secundam non habere ex se totam virtutem necessariam ad agendum, illamque complendam esse per illud auxilium.* — Ex quo ulterius infertur facultatem activam connaturalem causæ secundæ ex se non habere totam virtutem agendi necessariam ad talem effectum producendum, vel talem actionem efficiendam, sed talem virtutem compleri per illud additum, quod per id prævium concursus illi adjungitur. Probat ex principiis auctorum eorundem, qui priorem sententiam dubio præcedenti propositam defendunt. Primum est, quod potentia activa causæ secundæ, præcise spectata, adhuc est in potentia passiva et receptiva illius additi, seu motionis, ut dubio quarto visum est; ergo recipitur in illa per modum actus primi, et prævii ad secundum. Declaratur a simili in oculo, nam quia visus de se est in potentia ad speciem, ideo sine specie est incompleta virtus, et actus primus videndi: ita ergo omnis virtus activa propria causæ secundæ, de se et ante illum concursus prævium, non est in actu primo completo ad agendum, ac proinde non habet integram et completam virtutem activam, sed per motionem illam completur. Ergo sola facultas causæ secundæ sine tali principio non est completa virtus activa. Secundum principium est potentiam activam causæ secundæ non esse in actualitate perfecta, et ideo necessarium esse hunc prævium influxum in ipsam causam, ut per illum

suppleatur defectus actualitatis ejus; ergo talis potentia ex defectu actualitatis habet etiam defectum virtutis activæ, et illum supplet prævia motio actuando amplius ipsam potentiam; ergo actuat illam complendo actualitatem, quia illa actuatio tota est ad agendum, nec defectus virtutis activæ aliter suppletur quam addendo et complendo virtutem agendi. Tertium principium est, quia causa secunda non habet proportionatam virtutem activam ad dandum esse existentia suo effectui, et ideo indiget hac præmotione; ergo hæc motio simpliciter complet virtutem activam causæ secundæ. Probat consequentia, quia nulla efficientia esse potest, nisi per illam educatur aliquid de non esse ad esse; ergo virtus quæ non est completa ad dandum esse, non est completa ad efficiendum, et consequenter motio illa, vel qualitas aut entitas per quam activitas existentia tribuitur, magnum complementum virtutis confert causæ secundæ ad efficiendum.

19. *Idem ostenditur ex dictis illorum auctorum.* — Quarto, ex aliis locutionibus eorundem auctorum idem convincitur. Dicunt enim voluntatem, verbi gratia, per hanc motionem efficere actum suum amoris, vel alium similem. Ita fatetur Ledesma, art. 3, concl. 6, dicens per hanc motionem causam secundam applicari ad operandum, et producere actum secundum, et idem repetit de voluntate, art. 6, concl. 3, ubi duo junguntur, scilicet, applicari et producere, quæ non possunt eodem modo fieri ab illa motione: nam applicari fit ab illa sola, et voluntas vel causa secunda in hoc dicitur se habere passive. Unde illud *applicari* intelligendum videtur formaliter respectu motionis, nam Deus solus dicitur applicare causam secundam ad operationem: applicat autem imprimendo illam motionem; ipsa ergo motio est per quam causa secunda formaliter applicatur. Aliud vero, scilicet, *operari* est active a voluntate et a causa secunda; ergo cum dicitur operari per illam motionem, necesse est illud intelligi in genere causæ efficientis; ergo operatur voluntas per illam motionem tanquam per quoddam principium formale operandi, sive illud sit principale, sive instrumentale, sive integrum, sive partiale. Ergo tale principium dat voluntati virtutem aliquam agendi, aut saltem complementum ejus.

20. *Alii loquendi modi idem confirmant.* — Et hoc confirmant alii modi loquendi eorundem auctorum; vocant enim hunc prævium con-

cursum, *motionem virtuosam*, utique ad agendum, et tota illa virtus tribuitur causæ secundæ, ut per illam agat, et tanquam necessaria illi ad agendum; ergo complet virtutem ejus. Quid enim est complementum virtutis, nisi additio virtutis per se activæ, sine qua fieri non potest ut præexistens virtus aliquid agat? Et similiter vocant hanc motionem, virtutem instrumentalem primæ causæ, ad dandum esse effectui causæ secundæ; virtus autem instrumentalis actus primus est respectu auctoris actionis, et præsertim ubi talis virtus est qualitas, ut videre licet in semine, et calore vitali, et multi eodem modo loquuntur de specie impressa. Ostensum autem est hanc motionem esse qualitatem, et debere esse activam, et dari causæ secundæ, ut necessariam ad suum effectum, et ad suam actionem et inchoationem ejus. Quomodo ergo potest consequenter negari quin talis motio vel qualitas compleat virtutem agendi causæ secundæ, cum det illi virtutem saltem instrumentariam necessariam ad actionem suam? Unde tandem ipsimet auctores ita loquuntur, ut dicant Deum, præmovendo causas secundas, illas applicare ad operandum, eisque tribuere complementum virtutis activæ, ut expresse loquitur Alvarez, disp. 19, concl. 3, § *Confirmatur*, et disp. 18, n. 12, et verbis æquivalentibus id tradit Ledesma, art. 5, concl. 2, dicens hanc motionem esse principium intrinsecum operationis formaliter inhærens creaturæ, vel voluntati creatæ. Quid enim potest esse principium formale operationis, nisi sit virtus operandi? Aut quomodo potest esse principium intrinsecum et inhærens, quin det subjecto virtutem operandi. Verum est illum auctorem statim ita explicare dictam assertionem, ut illam destruere videatur; sed hæc ipsa perplexitas difficultatem doctrinæ attestatur.

21. *Idem probatur ex gratia efficaci, argumento ad hominem.* — Quinto, videtur quidem sumi efficacissimum argumentum ad hominem ex alio principio de gratia efficaci, quod pro constanti habent dicti auctores; putant enim gratiam efficacem consistere in hoc prævio influxu causæ primæ in secundam elevato ad ordinem gratiæ, et ad actus supernaturales, et nihilominus tribuunt illi auxilio, quod dat vires efficacissimas voluntati, illi accomodantes hæc verba et alia similia Augustini; multo autem magis est dare vires efficacissimas, quam complere virtutem agendi, nam illæ vires sunt ad agendum; et ita constituit voluntatem in actu primo, nam actus secun-

us non dat vires agendi, sed per vires agendi fit. Unde Ledesma, art. 5, concl. 2, ration. 4, dicit auxilium efficax efficere in nobis multas operationes supernaturales dilectionis, contritionis, et Deum per illud et per voluntatem illas efficere, et dicit hoc esse certum secundum fidem, quia voluntas cum illo auxilio concurrat ad operationem; ergo necesse est ut fateatur auxilium habere etiam propriam vim efficiendi illas operationes, et illam communicare voluntati cui inhæret; ergo ex voluntate et illo auxilio completur unum integrum principium talis operationis.

22. *Maxime in voluntate agente sine habitu infuso.* — Maxime vero urget hoc principium in voluntate, quando elicit hos actus supernaturales sine habitu infuso, vel alio principio intrinseco supernaturali inhærente; docent enim dicti auctores tunc solum auxilium prævium et efficax esse principium intrinsecum totale, per quod voluntas efficit tales actus, et illam motionem virtuosam supplere totam activitatem habitus infusi. Ergo tunc saltem negare non possunt quin motio illa sit actus primus, et det voluntati virtutem agendi: nam supponunt voluntatem non posse elevari ad eliciendos huiusmodi actus, quin prius natura constituatur in actu primo, per aliquam entitatem creatam sibi inhærentem, quæ sit illi principium formale, imo et principale, et tota virtus agendi talem effectum, ut supra visum est. Ergo ille concursus est talis actus primus in illo casu; ergo semper est talis quia ab eisdem supponitur semper esse idem ejusdemque rationis; ergo semper actuatur eodem modo, saltem quoad effectum formalem quem per se tribuit potentiæ; ergo semper est actus primus, et dat potentiæ virtutem agendi.

23. *Hinc infertur prima repugnantia in dictis auctorum illorum.* — Ex quo infero primo inveniri repugnantiam in aliquibus dictis illorum auctorum, quam notare oportet, quoniam ad confirmationem nostræ sententiæ multum conferet. Primum igitur Ledesma, a. 6, concl. 2, in fine quartæ probationis, dicit implicare, auxilium prævium efficax concurrere in ratione principii effectivi, et ut applicat ipsum principium effectivum, quia alias idem applicaret seipsum, et simul esset actus primus et secundus, et simul esset in actu et potentia secundum idem: paulo vero post, in quodam notabili post tertiam conclusionem, dicit, quando voluntas operatur sine habitu infuso per solum auxilium efficax, tunc illud auxilium simul habere rationem principii acti-

vi et actus primi, et applicationis seu motionis voluntatis. Quomodo ergo ista cohærent? Nam id quod implicat nunquam fieri potest. Nam idem applicaret seipsum, et simul esset actus primus et secundus, et in actu et potentia secundum idem. Quod si hæc vere sequuntur, et repugnat, non magis conjungi poterunt in illa præmotione, quando datur non habenti habitum, quam cum datur habenti, cum supponatur motio in utroque casu esse ejusdem rationis; parumque refert quod voluntas non habeat alium actum primum, quando caret habitu, quia posset suppleri per aliam qualitatem, vel entitatem ab auxilio illo efficaci distinctam, si repugnaret illud auxilium esse actum primum, et virtutem operativam.

24. *Explicatur implicatio quam statuebat Ledesma.* — Veritas autem est illam implicationem nullius momenti esse, quia sicut, quando potentia non habet habitum, auxilium illud est principium effectivum, et seipsum applicat ad agendum, et id non repugnat, quia illud se applicare, nihil aliud est quam agere; ita, si illud auxilium datur potentiæ operanti per habitum, simul esse poterit principium agendi, vel coagendi cum habitu, et seipsum applicans ad talem actionem. Unde, ut supra vidimus, in aliis locis fatetur idem auctor universaliter tale auxilium vel concursus prævium esse causam efficientem, et principium agendi, ut jam retuli. Deinde sicut in uno casu non est actus secundus, sed illum facit, et ab illo realiter distinguitur, ita quando cum habitu operatur, non est actus secundus propter eandem rationem. Ac denique, sicut tale auxilium, operando sine habitu non fit in actu et potentia secundum idem, ita nec cum illo operando, quia cum tale auxilium, sive cum habitu, sive absque illo, nunquam separatur ab operatione, nunquam est in re ipsa in potentia agendi, sed semper actu agens. Quod si præcise spectetur ut est prius natura quam ejus actio, sic etiam in neutro casu est tale auxilium in potentia receptiva, quia non est capax alterius præmotionis vel applicationis, ne procedatur in infinitum: in utroque autem casu est per modum potentiæ vel virtutis activæ, quatenus est principium agendi.

25. *Secunda repugnantia, quum dicant hunc concursus esse causam effectivam actionis, et tamen negent dare posse agere.* — Altera repugnantia est, quia fatentur hi Doctores hanc motionem præviam esse veram et per se efficientem causam actionis et effectus causæ secundæ, et negant dare posse agere, sed tan-

tum agere, utrumque enim passim in eis legitur, ut patet ex locis in hoc capite allegatis. Quod autem illa inter se pugnant facile ostenditur: nam illud auxilium est vera causa efficiens, et non ut agens quod; ergo ut principium quo dat supposito operanti potestatem agendi; ergo etiam hæc motio dat posse operari. Et confirmatur, nam in illo casu quo voluntas supernaturaliter operatur sine habitu, ipsi fatentur hoc auxilium dare voluntati potestatem operandi quam daret habitus si adesset; ergo eandem dat voluntati habenti habitum, quia est eadem facultas et motio, vel saltem complebit posse, dando vim specialem agendi, quam non dat habitus. Præterea, cum dicitur hoc auxilium dare agere, vel intelligitur dare effective, vel formaliter. In priori sensu verum est; tamen inde sequitur dare etiam aliquid posse, quia nulla qualitas vel entitas dat supposito effective agere, nisi in quantum dat illi virtutem agendi, per quam virtutem recipit suppositum potestatem agendi aliquid quod antea non poterat, vel saltem agendi illud novo modo. Si vero illa propositio in alio sensu formali intelligatur, in rigore et proprietate falsa est, quia nulla forma dat formaliter agere alicui supposito, nisi actio, quia ab actione agens formaliter denominatur agens, et nihil aliud est agere, nisi esse agens, seu actionem emittere. Illud autem auxilium non est actio ejus in quo recipitur, quia ab illo non fit, ut supra visum est, et iidem auctores fatentur; ergo non constituit illum formaliter agentem; ergo nec dat formaliter agere. Quod si latiori modo dicatur dare agere, quia nunquam datur talis motio quin sequatur ipsum agere, inde fit ut solum det agere efficienter, quia non aliter sequitur agere ex tali motione, nisi efficiendo et emittendo actionem simul cum causa secunda, et quasi trahendo illam ut secum agat. Et ideo per hoc non tollitur quin, ut det agere, det posse agere, quia illa consecutio non est sine ordine naturæ, et priusquam ex tali auxilio sequatur agere, afficit formaliter potentiam, et dat illi suam vim activam, quam vocamus potentiam agendi, vel saltem complementum virtutis aut potestatis, sicut est species visibilis in oculo, et aliæ similes.

26. *Tertia repugnantia in comparatione concursus prævii et simultanei.* — Tertiam repugnantiam in eo invenio, quod interdum dicti auctores, præsertim Ledesma, ut supra allegavi, motionem præviam et concursus simultaneum (quem imbitum in actione

causæ secundæ vocant) in duobus æquiparant, quæ simul cum proprietatibus illorum auxiliorum subsistere non possunt. Primo, in hoc quod concursus simultaneus, sicut non est qualitas, ita nec prævius, indicando etiam in re esse idem, de quo supra dixi. Sed illud præmitto, quia hinc inferunt quod, sicut concursus concomitans non complet et consummat actum primum in causa secunda, ita neque motio prævia. Hæc autem æquiparatio destruit rationem auxilii prævii; nam inde sequitur non habere veram rationem principii efficientis, sed esse meram actionem, ac proinde non habere unde distinguatur ab auxilio simultaneo, quia illud etiam tantum est actio, et superfluum est tot multiplicare actiones tendentes ad eundem terminum. Quod si sunt duæ, et una sola est a causa prima, alia vero a causa secunda simul cum prima, et istæ habent ordinem causalitatis et naturæ, ita ut illa sit prior, hæc posterior, illa profecto quæ est prior habet etiam priorem terminum intrinsecum, et ille poterit esse qualitas, et illa erit principium secundæ actionis, et consequenter poterit complere actum primum in causa secunda. Illa ergo æquiparatio destruit sententiam illam.

27. *Quarto, repugnat quod dicunt hunc concursus esse causam efficientem actionis et effectus et tamen non esse actum primum, aut illum complere, sed esse actum secundum, aut aliquid medium.* — Quarto, repugnare mihi videtur quod sæpe dicunt, hunc concursus prævium esse veram causam efficientem effectus et actionis causæ secundæ, et nihilominus non solum negant esse actum primum, sed etiam interdum negant complere actum primum, præsertim Ledesma, locis supra citatis. Et e converso, affirmant hoc prævium auxilium vel esse medium inter actum primum et secundum, vel magis ad actum secundum quam ad primum pertinere. Aut enim intelligunt pertinere ad actum secundum formaliter, vel realiter seu identice, vel causaliter. Primum impugnatum jam est, et plane repugnat cum causalitate efectiva talis auxilii, quia causa eliciens seu efficiens actum secundum, non est actus secundus, sed fons ejus. Nec etiam identice seu realiter illud auxilium est actus secundus, quia ostensum est distingui realiter ab actione in qua consistit vel per quam inchoatur actus secundus. Si autem dicatur esse actus secundus tantum causaliter, hoc nihil est, quia hoc modo etiam species visibilis, vel lumen gloriæ dici poterit actus se-

cundus, valde tamen abusive, et solum ad eludendas difficultates, non ad rem declarandam.

28. *Solvitur replica.* — Dicent fortasse pertinere ad actum secundum, quia nunquam ab illo separatur, et quia facit facere efficaciter. Sed non satisfacit, quia utrumque etiam habet lumen gloriæ; nam imprimis nunquam separatur a visione. Dices ita esse de potentia ordinaria, de potentia tamen absoluta posse separari, quod non potest dici de auxilio efficaci. Sed forte hoc posterius falsum est, ut statim ostendam; et licet esset verum de separatione in duratione temporis, satis est quod ordine naturæ præintelligatur tale auxilium sine toto actu secundo, et quoad totam actionem et realitatem ejus, nam simili modo lumen gloriæ facit efficaciter videre Deum. Dices id etiam facere per auxilium prævium illi additum. Sed hoc ipsum est de quo controvertitur. Et præterea, illo dato, illud auxilium non facit facere, quia ipse sit actus secundus, sed propter singularem efficaciam quam habere dicitur circa ipsum facere, id est, circa actionem seu actum secundum causæ creatæ. Unde si illud auxilium præcise consideretur, quatenus per se ipsum actuat et informat potentiam activam causæ secundæ, non constituit illam in actu secundo, quia non constituit illam formaliter operantem, sed constituit ultimate applicatam seu motam vel actuatam ad agendum, quod totum revera pertinet ad actum primum completum, quia tunc in illa causa sic constituta nondum est inchoatus actus secundus. In hoc ergo sensu illud auxilium non facit facere, si verbum illud *facere* sumatur formaliter, seu in genere causæ formalis; si vero sumatur effective, etiam in illo priori, non facit facere in actu secundo, quia ut sic nondum facit; ergo ad summum dici potest quod facit facere, quia ita actuat potentiam, ut ex illo inevitabiliter sequatur ipsum facere, quod non est contra vel extra rationem actus primi completi, ut ostensum est.

29. *Contra medium illud inter actum primum, et secundum.* — Nec etiam oportet fingere medium inter actum primum et secundum, quia, ut supra probavi, repugnat immediationi talium actuum inter se, et rationibus formalibus eorum, quia totum id quod supponitur ad actionem tanquam principium ejus pertinet ad actum primum. Unde Ledesma, in dicta quæstione unica, in principio, fundamento 3, sic describit hanc motionem Dei: *Est vis quedam activa in ipsa voluntate*

*recepta, qua mediante voluntas exit in actum secundum*, quæ descriptio apertissime convenit in actum primum, et condistinguit omnino tale auxilium ab actu secundo. Ideoque non recte consonat quod idem auctor, eadem quæst., art. 6, § *Advertendum*, ante quintam conclusionem, dicit: *Auxilium hoc est velut medium, et tenet se aliquo modo ex parte potentiae, et simpliciter reducitur ad actum secundum, et est initium actus secundi*. Quomodo enim potest esse actus secundus, vel initium actus secundi, si est vis activa per quam voluntas efficit actum secundum? Nam si per initium intelligat activum principium proximum actionis, et necessario influens in illam, totum hoc pertinet ad actum primum, et omnino realiter et formaliter distinguitur a toto actu secundo, ut probavi. Si autem loquatur de initio aliquo intrinseco ipsius actus secundi, ut jam est in fieri, sic impossibile est vim agendi ex parte potentiae esse totale initium actus secundi, cum sit causa effectiva ejus; non ergo oportet verbis incertis aut novis uti, sed ingenue fateri hoc auxilium esse actum primum vel quasi partem ejus. Possemusque non sine causa hos patres redarguere, quod alibi graviter reprehendant Molinam, quod scientiam quamdam Dei mediam appellaverit, quia nemo illam antea ita vocavit, quamvis res ipsa non esset antea ignorata; ipsi vero nunc introducere velint actum medium inter primum et secundum, quem antiqui neque ita nominaverunt, nec agnoverunt.

30. *Omnia quæ probant hunc concursum non esse actum primum, probant nullam entitatem additam causæ secundæ esse illi necessariam ad agendum.* — Ultima et maximi ponderis repugnantia est, quod omnes rationes quibus isti auctores contendunt suadere hunc concursum non esse qualitatem completam, activitatem, seu virtutem, vel actum primum causæ secundæ, probant non esse entitatem aliquam necessariam causæ secundæ ad agendum, sive sub nomine qualitatis, sive motionis virtuosæ, sive instrumentariæ virtutis significetur. Et ideo dixi, in fine dubii noni, argumenta utriusque opinionis ibi relatæ, simul sumpta, probare hunc prævium influxum non esse necessarium, nimirum conficiendo argumentum hoc modo: Si prævius concursus esset necessarius, maxime ad concurrendum effective et per se cum causa secunda, præmovendo illam; sed hoc modo seu titulo non est necessarius; ergo absolute necessarius non est. In majori conveniunt omnes defensores talis concursus, ut

Ledesma supra allegatus testatur. Minor autem probatur, quia si auxilium efficax est necessarium, est necessarium ad concurrendum per se cum causa secunda ad agendum; sed auxilium efficax non potest esse talis qualitas vel entitas; ergo. Majorem probant argumenta prioris sententiæ relatæ dubio nono, et convincunt, supposita tali causalitate, ut in toto discursu hujus dubii decimi demonstratum est. Minorem vero efficaciter probant argumenta posterioris sententiæ, quod facile patebit per illa discurrendo. Prius vero noto diversitatem inter dictos auctores; nam Ledesma concedit auxilium efficax, saltem in voluntate, esse qualitatem; Alvarez autem id negat, sed contendit tantum esse motionem. Item prior negat esse complementum actus primi, seu virtutis causæ secundæ; posterior vero id facile admittit.

31. *Examinantur illæ rationes sigillatim: prima, ex complemento virtutis activæ creatæ.* — Prima ergo ratio est, quia causa secunda habet virtutem activam completam in suo genere; ergo non indiget complemento, quæ ratio evidentius concludit contra eos qui docent auxilium esse qualitatem activam, et principium necessarium ad eliciendum actionem: nam si est qualitas activa, passive tantum recepta in causa secunda, et illi necessaria ad agendum, non potest non esse complementum virtutis agendi, ut probatum est; ergo si tale complementum non est necessarium, nec talis qualitas necessaria est. Verumtamen non minus efficaciter et absolute probat ratio potentiam habentem virtutem completam non indigere complemento addito per novam entitatem realem, quocumque nomine vocetur; quia quod est completum in virtute agendi simpliciter, non indiget complemento virtutis, ut agere possit: nam complementum virtutis est additio virtutis; quod autem est completum, non indiget additione virtutis, ut agat, licet possit illa indigere, ut facilius aut velocius agat. Nec satisfacit respondendo potentiam completam in virtute, posse in eadem per modum motionis vel applicationis compleri. Hæc enim responsio aliquem habet locum, si motio illa vel applicatio solum esset conditio sine qua non; hæc enim requiri potest interdum ultra completum principium agendi. At vero cum illa motio dicatur necessaria tanquam per se influens in effectum, negari consequenter non potest quin addat virtutem agendi, et eo titulo sit necessaria, quod plane repugnat, si jam supponit completam virtutem activam, quo-

cumque modo, vel per quamcumque entitatem, virtutem illam addere intelligatur.

32. *Secunda ex superfluitate plurium qualitatum.* — Et hoc etiam confirmat secunda ratio, quæ sumebatur ex superfluitate plurium qualitatum, quando una potest habere, imo supponitur habere completam virtutem agendi. Hæc enim ratio non minus urget sub generali voce entitatis, seu rei, quam sub nomine qualitatis. Nam vulgare principium in quo nititur illa ratio, *Frustra fit per plura quod potest fieri per pauciora*, non arctatur ad plures qualitates, sed transcendentaliter profertur, verumque censetur de pluribus rebus, habet enim eandem rationem in quocumque rerum genere; eo vel maxime quod ipse Ledesma, qui illo argumento utitur, alibi fateatur in causis agentibus actione immanente illum concursum prævium esse qualitatem, neque potest negare quin sit activa, cum ibidem dicat esse principium per se influens in actionem causæ secundæ; ergo vel illa qualitas non supponit completam virtutem agendi in potentia etiam habitu supernaturaliter informata, vel si illam supponit, superflua est alia qualitas addens activitatem ad eundem actum.

33. *Tertia ex processu in infinitum.* — Simili modo, allegari potest tertia ratio deducens ad processum in infinitum, quia, si causa secunda indiget complemento virtutis, solum quia virtus creata est et pendens, ac subordinata causæ primæ in agendo, hæc omnia conveniunt illi qualitati, vel motioni, per quam dicitur compleri virtus causæ secundæ ad agendum: nam etiam illa est qualitas creata, et pendet a concursu primæ causæ in agendo, et subordinatur illi; ergo indigebit alio complemento, et sic procedetur in infinitum; quod argumentum maxime urget contra eos qui admittunt illum concursum prævium esse qualitatem; et ideo Alvarez constanter id negat, dicens esse puram motionem, et ita facile respondet negando primam consequentiam, quia qualitas indiget motione, motio autem non indiget motione, sed seipsa movetur. At nos satis (ut credo) convicimus non posse esse sine qualitate. Deinde, etiamsi motio ad movendum quasi formaliter non indigeat alia motione, quia ad illum effectum non indiget alio concursu, nisi illo quo fit et conservatur, nihilominus ad agendum aliquid aliud a se realiter distinctum, tanquam principium per se efficiens illud, indigebit novo concursu primæ causæ, ac subinde nova motione, quia si indiget